

Nam ut ex Auguſtino refertur apud Gratianum *Caus. 1. 9. 3. Can. 6.* "Totum, quidquid homines poſſident, omnia quorum Domini ſunt, pecunia vocatur... Ideo autem pecunia vocata eſt, quia Antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant.

IV. Hinc collige, *Simoniam* committi munere à manu, dum alicujus rei temporalis exterioris interventu beneficium acquiritur vel datur.

Et quidem *Simoniacum* pronuntiare non dubitavit Alexander III. in *Cap. 20. De Simonia*, Clericum qui ſex dumtaxat ſolidos Archidiacono ſolverat, quia ipſum ad Ordinem aliter præſentare noluit: ut proinde etiam per munus à manu licet exiguum *Simoniam* ſubinde incurri queat: quod & notat hic Gloſſographus verbo *ſex ſolidos*, additque rationem: quia "quantitas muneris diverſitatem juris non inducit.

V. Ut munus à manu intervenire dicatur, non requiritur, ut realiter de manu in manum externum illud temporale tradatur; ſed ſufficit, quod in effectu detur, etiam ſi fictio brevis manus, ut Juriſconſulti loquuntur.

Si quis enim impetret beneficium tacite vel expreſſe remittendo debitum; vel Collator dare nolit, niſi addicta remiſſione debiti; indubit uterque *Simoniacus* erit; diceturque revera interventu muneris à manu proviſio Beneficii infecta: quia per remiſſionem illam debiti reſiſta datum conſequitur illud quod erat debitum.

VI. Hoc ex capite Patroni, ac ſignanter Eccleſiaſtici, Capitula & Monaſteria *Simoniz* ſaltem ſuſpicionem vehementi aſperguntur, dum ad Eccleſias Parochiales præſentant ea lege tacite vel expreſſe, ut præſentatus minore competentia ſit contentus, aut ſaltem augmentum illius non præſtendat. Similiter Clerici qui tacite vel expreſſe remiſſionem illam addicunt, aut augmento, quod forſitan jure præſtendere poſſent, renuntiant, ut præſentationem obtineant, lepram *Simoniz* non evadunt.

Quid enim evidentius, quam quod eo caſu vel debiti certi aut ſaltem probabilis fiat remiſſio, ut beneficium conferatur vel accipiatur.

Non abſimiles ſunt hi Sacerdotes Clericis illis, qui, uti loquitur Alexander III. in *Cap. 6. De Paſſis* "decidentibus Eccleſiarum Perſonis, paciſcebantur, ex ipſis majores ſolite ſolvere penſiones, ut facilius poſſint Eccleſias adire: quorum factum ut deſteſtabile vitium mandat extirpari; & Clericos illos taliter adeptis Eccleſiis ſpoliari; alias pro tanta præſumptionis exceſſu, ſeveritate Eccleſiaſtica puniendos.

Clerici enim qui Capitulis aut Monaſteriis addicunt, ſe minore competentia fore contentos, reſiſta promittunt quod Capitulis aut Monaſteriis major decimarum portio cedet, quam revera cederet, ſi competentia, quam jure exigere poſſent, ſolvi deberet: & per conſequens, mediante ſimili renuntiatione beneficium impetrantes, illud per munus à manu revera impetrant.

VII. Munus à lingua, auctore Sancto Gregorio, eſt favor; cujus interventu non ſecus, atque per munus à manu contrahi *Simoniam* docet S. Thomas citato articulo quinto; rationem adjungens: "Quia quod aliquis ſatiſfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quarendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ poteſt pecuniæ pretio æſtimari.

VIII. Toties igitur *Simoniam* munere à lingua committitur; quoties beneficium ad preces alterius confertur, ut hinc gratia ſeu favor ad utilitatem propriam obtineatur. Tales enim preces ſuccedunt loco pretii, uti rectè notavit Gloſſa.

IX. Similiter *Simoniam* per munus à lingua inſicitur, qui beneficium ad preces alterius conferendum duxit; ne reſiſta offenſam poſtulantem incurrendo, gratiam ſeu favorem ejus amitteret. Nec enim minus pretio æſtimabile confertur favorem alicujus obtentum non amittere, quam non obtentum comparare.

X. Quinimo nec collatio beneficii facta ad preces alicujus deſinet eſſe *Simoniacæ*, ſi per eam favor humanus queratur, tamen preces pro digno, aut etiam digniore portigantur. Quia cum nihilominus beneficium collatum ſit, ut favor qui ad utilitatem propriam ſpectat habeatur, non poteſt collatio vitio *Simoniz* carere, non magis quam collatio facta digniſſimo pro præſtatione pecuniæ.

Quod ipſum docet S. Thomas, adſtruens eſſe *Simoniam* ſaltem in intentione, & conferre beneficium ad preces alterius, licet illæ ſiant pro digno: Si non attendatur, inquit, ad dignitatem perſonæ, ſed ad favorem humanum.

XI. Rectè hæc clauſulam finalem addidit, Doctor Angelicus. Nam ſi attendatur ad dignitatem perſonæ, & non ad favorem humanum, dum preces portiguntur pro digno, collatio facta ad preces alterius ab omni *Simonia*, omnique vitio exempta eſſe poteſt.

Si enim Collator ſolum attendat merita perſonæ per eum, qui preces pro collatione interponit, propoſita; hujusmodi preces non loco pretii alicujus habendæ erunt; ſed ſimplicis atteſtationis vel expoſitionis meritorum; & collatio ad preces illius ſubſequuta, non tam in gratiam commendantis, vel ut ſibi favorem poſtulantem in ſuam propriam utilitatem captaret; ſed propter merita perſonæ per ſupplicantem ſeu preces portigentem propoſita & pateſtata, cenſebitur facta.

XII. Pariſormiter ſi inſtans apud Collatorem pro proviſione beneficii in favorem alicujus ſui amici, non alio intuitu preces portigat, quam ut merita perſonæ Collatori vel Patrono innotescant, atque per illa ſolum, ad conferendum beneficium, Collatorem movere intendat; nulla quoque vel ſpecies *Simoniz* ex parte ſupplicantis interveniet.

Rectè proinde dixit Gratianus noſter, *Non quorumlibet precibus Ordinationes factæ falſa djudicantur, ſed hædemum, quæ precibus Ordinandi vel ejus amici, non ſpirituali, ſed carnali affectu porrectis ſunt, cum aliis futuri non eſſent; quæ non charitas interveniens, ſed amicitia ſupplicans extorquet.* *Caus. 1. qu. 1. poſt Can. 122.*

XIII. Ut igitur verbo dicamus: rogans aut portigens preces pro alio erit *Simoniacus* ſaltem in intentione, ſi preces eâ intentione offerat, ut Collatorem non per merita perſonæ, ſed per gratiam aut favorem humanum, quem tacite ipſi addicit, ad conferendum movere intendat. Similiter nec Collator à *Simonia* erit immunis, ſi non ob merita perſonæ per ſupplicantem expoſita, ſed ob addictam ſibi gratiam aut favorem ad conferendum proceſſerit; juxta illud S. Thomæ: *Qui dat ſpirituale, ſi principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis quantum ad judicium Divinum Simoniam committit & rogans ſi hoc intendat.*

XIV. Munus ab obſequio, ait S. Gregorius, eſt ſervitus indebitè impenſa. Hujus muneris interventione cur *Simoniam* committatur dicit S. Thomas: "Quia idem eſt, quod aliquis det rem ſpiritualem pro aliquo obſequio temporali exhibito vel exhibendo, ac ſi daret pro pecunia data vel promiſſa, quæ illud obſequium æſtimari poſſet.

XV. Eandem rationem attingit B. Petrus Damiani perſtringens Clericos aulicos, qui exhibendo obſequia, Beneficia venabantur, ſe tamen à *Simonia* immunem gloriabantur, quia nullam talenti ſummam pro ſuſcipiendis honoribus ſe pepigere daturus. "Sed dic mihi, o Clerice, inquit Petrus Damiani, quiſquis es, ſi redempto quolibet aureo vaſe vel prædio, diſtractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii hujusmodi ſibi ſedulitatis impendium exhiberes, nunquid non poſtmodum contantè ter aſſereres, te quod acceptum eſt, juſto pretio compaſſe? Non videlicet quia pecuniam perſolvisti, ſed quia ſervitium præbuiſti. Diceres enim, & forſale non impu-

impudenter aſtrueres; carius enim, dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum mearum ſumptus expendere, quam ſi ſemel præfixæ quantitatis pecuniam numerarem. Nequaquam ergo ſibi innocentiam præbeant, & à *Simoniaz* hæreſeos maculis ſe mundos eſſe confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro ſuſcipiendis honoribus per ſubjectionis, & obſequii quædam quaſi talenta perſolvunt." Hæc B. P. Damianus lib. 2. epiſt. 1.

XVI. Manifeſtum proinde incurrit *Simoniam* qui obſequium ſeu ſervitium Collatoribus aut Patronis gratis exhibent, eâ conditione tacita vel expreſſa, quod ipſis, occaſione occurrente, de Beneficio providebunt. Similiter & ipſi Collatores eodem vitio irretiuntur, ſi ea ſpe alliciant Clericos, ut ſibi obſequium aut ſervitium gratis exhibeant.

XVII. Hoc *Simoniz* periculum metuens S. Carolus, Monuit atque obreſtatus eſt Episcopos, alioſque quibus jus eſt conferendi beneficia, ut familiaribus ſuis certam mercedem conſtituant, ne illi ſubſidio deſtituant, beneficia Eccleſiaſtica, tamquam SUÆ OPERÆ & LABORIS PRETIUM præcipue ſibi proponant. In Syn. Mediolan.

XVIII. Eundem *Simoniz* reatum incurrit, qui Principum, aut aliorum Magnatum liberos, vel Episcoporum Nepotes nullo aut exiguo ſtipendio regendos, erudiendove ſuſcipiunt, eâ ſpe, ut Beneficia Eccleſiaſtica ab ipſis, vel eorum favore adipiſcantur.

XIX. Neque labes *Simoniz* abſtergetur, tamen obſequium exhibitum & exhibendum ſpirituale foret; quia & ſpiritualem operam exhibentes, tamquam operarii, digni ſunt mercede ſua; unde ſi hanc intuitu Beneficii accepti aut accipiendi remittant, indubie *Simoniaci* ſunt. Similiter qui tale obſequium intuitu Beneficii dati aut promiſſi ſibi gratis exhiberi, tacite vel expreſſe poſtulant, aut oblatum acceptant, *Simoniz* labe inſciantur.

Hinc *Simoniaci* ſunt Canonici, alique Sacerdotes aſſumentes Vicarios, qui exiguo ſint contenti ſtipendio, ſpe conſequendi Beneficium.

XX. *Simoniacum* quoque eſt, conferre alicui Beneficium ea lege & conditione tacita vel expreſſa, ut ipſe Beneficiarius teneatur Collatori, vel alteri aliqua obſequia etiam ſpiritalia, Beneficio non annexa, gratis præſtare. Quis enim dubitat, quin obſequia illa licet ſpiritalia, gratis exhibita, ad utilitatem redundent Collatorum; nec enim obſequia illa tamen ſpiritalia, ſine conſtituta mercede ab aliis ipſis exhiberentur.

XXI. Non multum difficile erit dijudicare quando nam aliquo munere, ſive à lingua, ſive à lingua, ſive ab obſequio, collatio vel proviſio beneficii vitio *Simoniz* infecta ſit, ſi ſincere expendantur omnia quæ geſta ſunt, & conferantur cum ſententia Chriſti, *Gratis accepisti, gratis date.*

CAPUT III.

Quam commune aliquando hoc vitium fuerit: & quomodo technis occultatum: & quid ad technas detegendas adhibendum?

1. Quando hoc vitium invaleſcere cœperit?
2. Tempore S. Gregorii per Galliam & Germaniam invaluerat.
3. Similiter in Oriente.
4. Vitium hoc eo tempore erat vetuſtate inſolitum.
5. Quanto ſeculo II. graſſaretur; & acris Henrici Imp. ſuper eo invecitiva.
6. Edictum in Italia graſſabatur: & Episcopos vitium agnoſcebant; & venia ab Imperatore poſtularunt.
7. Edictum Imperatoris contra *Simoniacos*.

8. *Simoniam* eo tempore, non reputabatur pro peccato.
9. Credebatur conſuetudine vitium hoc excuſari.
10. Defendebatur conſuetudine Eccleſie Romana.
11. Conſuetudo eſt mera *Simonia larva*.
12. Nullum vitium tot pallis & technis reſectum fuit, quam hoc vitium *Simoniam*: & quare?
13. De *Simoniacorum* pactis teſtatur Synodus Conſtantinopolitana.
14. De eisdem teſtatur S. Gregorius.
15. His pallis detegendis aptiſſima eſt ſententia Chriſti: *Gratis accepisti, gratis date.*
16. Eam ad verſus *Simoniacorum* fraudes adhibendam cenſuit citata Synodus Conſtantinopolitana.
17. Hæc ſententia & alii Patres uſi; & ad eviſandam *Simoniam* labem hodie merito adhibenda.



ostquam Eccleſia reſtitibus augeti cœpit; atque Miniſteriis Eccleſiaſticiſ proventus opimi, & honores ſeculi annexi, ambitioſi & avari ea mirum in modum ambi & querere cœperunt; ipſique Prælati etiam ea penes

proventus temporales, & honores ſæculi æſtimantes, lucrum ex iis ſectati.

Hinc mirum! quantò pere vitium *Simoniz* ſenſim ipſos Prælatos Eccleſie infeceſit.

II. Et quidem ſcribit S. Gregorius Virgilio Arelatenſi Episcopo Lib. 4. Epiſt. 50. "Quibuſdam namque narrantibus agnovi, quod in Galliarum vel Germaniæ partibus, nullus ad Sacrum Ordinem ſine commodi ratione perveniat.

III. Idipſum malum per Eccleſiam Orientalem propagatum fuiſſe teſtatur lib. 9. epiſt. 40. ſcribens Ilicio Hieroſolymorum Episcopo. "Quia verò pervenit ad nos, in Orientis Eccleſiis nullum ad ſacrum ordinem niſi ex præmiſſorum datione pervenire; ſi ita eſſe veſtra fraternitas agnoſcit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, ut à ſubjectis ſibi Eccleſiis errorem *Simoniz* hæreſeos compeſcat.

IV. Denique eodem libro epiſt. 50. *Simoniz* vitium vocat malum vetuſtatis; utpote conſuetudine vetuſta jam inveteratum; laudatque Episcopos, malum, ut decet, libera voce damnantes.

V. Labentibus ſæculis quantum hoc vitium cœperit incrementum, vix dici poteſt: narratque Glaber Rodolphus Monachus (qui ſcripſit hiftorias ſui temporis libris quinque ſatis accuratè teſte Bellarmino) lib. 5. cap. 5. quod dignoſcens Henricus Imperator per univerſam Galliam atque Germaniam *Simoniacæ* philargyie graſſari cupiditatem, coadunari fecerit ex omni Imperio ſuo tam Archipræſules, quam cæteros Pontifices, eiſque expoſuit, quod Chriſtus eos mittens dixerit, *gratis accepisti, gratis date.* Deinde illis de avaritia & cupiditate acriter reprehendiſſe, addebat: "Patet ergo maniſeſtiſſimè quoniam propter hanc offenſam venerunt ſuper filios hominum diverſe clades. Omnes quippe gradus Eccleſiaſtici à maximo Pontifice uſque ad Hoſtiarum opprimuntur per ſuæ damnationis pretium, ac juxta vocem Dominicam in cunctis graſſatur ſpirituale latrocinium.

VI. Poſt hæc ſubjungit Rodolphus: "His denique ab Imperatore acerrimè perlatis, ſtupefacti Pontifices, quid illi reſponderent, non habebant. Pertimeſcebant enim, ob hanc culpam propriis Episcopatum carere ſedibus. Et quoniam non ſolum in Gallicanis Episcopis hæc peſſima pullulaverat nequitia, verum etiam multo amplius totam occupaverat Italiam (omnia quippe miniſteria Eccleſiaſtica ita eo tempore habebantur venalia, quali in ſecularia mercimonia) Cernentes quoque Episcopos gravi, ſeſe inveſtione irreutos, miſericordiæ operam implorabant. At ipſe Princeps miſericordia motus, tale conſolationis protulit verbum: Ite, inquit, & quod illicite accepisti, bene diſponere ſatagite, ac pro anima patris mei,

qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentius intercedere, re mementote, quatenus ei indulgentiam hujus facinoris à Deo possitis acquirere.

VII. Monet dein Rodolphus, quod Imperator "proposuit edictum omni imperio suo, ut nullus gradus clericorum, vel ministerium Ecclesiasticum pretio aliquo conquireretur, Ac si quis dare aut accipere præsumeret, omni honore destitutus, anathemate mulcetur; spondit insuper promissum hujusmodi, dicens: Sicut enim mihi Dominus coronam Imperii sola miseratione sua gratis dedit; ita & ego, quod ad religionem ipsius pertinet, gratis impendam. Volo, si placet, ut & vos similiter faciatis.

VIII. Hæc seculo undecimo de vitio Simonie scribebat Monachus ille, quando & B. Petrus Damiani in vita S. Romualdi scribere non est veritus c. 45. quod hic sanctus invecus in Simoniacos etiam periculum mortis subierit, à Clericis Simoniacis sibi imminenti: rationem addens: "Quoniam per totam illam Monarchiam, usque ad Romam, in quibusdam temporibus, vulgata consuetudine, eos quisquam noverat Simoniacam hæresim esse peccatum.

Et sanè hoc habet consuetudo, ut vitia quantumvis gravia cum in consuetudinem venerint, parva aut nulla credantur, teste S. Augustino.

IX. Quin & in hac ipsa materia Simonie jam pridem deploravit Concilium Lateranense sub Alexandro III. in Cap. 9. De Simonia: "Putant autem plures (ait Concilium) ex hoc licet, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam.

X. Conquererebatur circa idem tempus S. Ivo Carnotensis, quod Decanus & Cantor alique ministri Ecclesie sue Carnotensis aliqua exigerent ab his qui Canonici fierent, me (ait) coneradicente & persequente. At quo fe telo contra Episcopum suum defenderent, subjungit: "Romana Ecclesia consuetudine se defendunt, in qua dicunt Canonici & ministros Sacri Palatii multa exigere à consecratis Episcopis vel Abbatibus, qua oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus, nec charta gratis tibi (ut ajunt) habeatur, & hoc quasi lapide conterunt frontem meam, cum non habeam, quod respondeam nisi Evangelicum illud: QUOD DICUNT SERVATE ET FACITE: sed si id faciunt, SECUNDUM OPERA EORUM NOLITE FACERE.

XI. Hactenus dicta sufficienter evincunt, vitium Simonie jam pridem altis subinde, & longè lateque diffusas egisse radices, multosque communi illa praxi & consuetudine vitium hoc tegere voluisse; & aliud fuisse Conciliorum & Patrum iudicium; existimantium consuetudinem esse meram larvam Simonie, & excusationem in peccatis.

XII. Porro quia hoc vitium à Principe Apostolorum in Simone Mago tam terribili voce damnatum fuit, & tot iteratis Ecclesie Decretis, sub gravissimis pœnis confixum, eum adeò hominum ambitioni & avaritiæ faveret, observatum jam pridem fuit, nullum vitium tot palliis, ac technis contectum esse, quam hoc Simonie crimen; quemadmodum sapientissimè reflexerunt sæculo præterito Patres Concilii Mexicani anno 1585. lib. 5. tit. 3. "Etsi ab ipso nascentis Ecclesie initio, semper Simonie vitium abominabile & execrabile fuerit ac sacris Canonibus prohibendum, gravibusque pœnis punitum; tamen ea fuit hominum malitia, ut diversis fraudibus & fallaciis sua Simonie pacta occultare & palliare procurant.

XIII. Seculo quinto Synodus Constantinopolitana 73. Episcoporum sub S. Gennadio Patriarcha testatur, multos SOPHISTICA calliditate Christi præceptum: GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE, illudere.

XIV. De his quoque technis & fraudibus scribit ad Gallicæ Episcopos S. Gregorius lib. 7. epist. 111. monet ani-

marum adversarium his technis ceu quibusdam retibus uti: "Nam nec venator (ait) feram, aut avem aucupes deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut illi laqueum in aperto proponerent, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omnino ergo mettenda & cavenda est hostis astutia; ne quos aperta nequit tentatione subvertere, latentem dolo sævius valeat trucidare.

XV. His fraudibus & mulcipulis detegendis, nihil aptius credere Patres, quam hanc simplicem & apertam Christi sententiam sive præceptum datum Apostolis, & in ipsorum persona omnibus quibus munia Ecclesiastica distribuenda committuntur: GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE.

XVI. Audiamus ipsos Patres citatæ Synodi Constantinopolitane sub S. Gennadio: "Qui inter alias deformitates cum nactus esset Ecclesiam illam Simoniacam labe deturpata, tam, ad eam penitus evellendam, aliosque pravos mores Synodum colligi festinavit," ait Baronius ad annum 459. Hi ergo Patres in Epistola Synodali & circulari ita scribunt: "Cum Dominus & Deus Salvator noster J. C. suis discipulis Evangelii prædicationem credidisset, eosque per universum terrarum orbem inter homines ad docendum misisset: apertè iussit ut quod gratis accepissent, eis quoque gratis darent, non aurum vel argentum, aut alias omnino materiales & terrenas facultates pro eis acquirentes,.... Hoc autem præceptum non solum illis, sed etiam nobis per illos dedit, quos in illorum gradum & locum substituere dignatus est: & oportet, sicut illi tunc, nos quoque nunc accuratè & diligenter servare, nec in his quoque technas sophisticas non admittunt, uti sophisticam calliditate, nec aleam periculosam jacere. GRATIS, inquit, ACCEPISTIS, GRATIS DATE: non possidentes æs, neque aurum, neque argentum in zonis vestris. Simplex est & aperta hujus mandati ratio, quæ nihil habet varium, nihil quod non sit facile & explicatum, nihil quod sophisticæ expositione egeat. A me, inquit, accepistis Sacerdotii dignitatem. Si mihi pro ipso parvum quid vel magnum solvistis, & hoc à me venditum est; vos quoque ipsum aliis vendite: si autem gratis accepistis, vos quoque gratis date. Quid hoc est mandato apertius?

Extat integra græcè & latinè tomo 4. Conciliorum general. col. 1025. eamque suis Annalibus Baronius inseruit, asseritque, unum esse hujus Synodi fragmentum quod superest, relictum tamquam forem arietem ad demolendas Simoniacas molitiones.

XVII. Si quis S. Gregorii Epistolam, aliorumque Patrum scripta revolvere voluerit, reperiet, hæc ferè unicâ sententiâ Christi usos, ut universa Simoniacorum tegumenta & porizomata depellerent.

Qui igitur sincerè desiderat laqueos adversarii evitare, & securam semitam tenere, hæc Christi clarissimam sententiam sincero corde expendat; quemadmodum anno 791. Patres Synodi Foro-Julienensis ad extirpandam Simoniacam pravitatem accincti monuerunt Canone 1. ubi omnem Canonice deditum ditioni his verbis alloquuntur: Patenti semper cordis aure perimescens intellige clarissimam illam Domini vocem GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE.

CAPUT IV.

Palliatur Simonia separando temporale à spirituali; vel dando per modum Motivi.

1. Jam pridem ad palliandam Simoniam fuit temporale à spirituali in collatione beneficiorum separatum: & qui hujus pallii color?

2. Acr

1. Acruter in hos pallii patronos invehitur B. Petrus Damiani.
3. Urget Pontificem ut eos prosternat.
4. Ratio hujus invehitæ à Petro Damiani adducta.
5. Ratio Damiani probata à Paschali Papa.
6. Eam concludentem esse probatur.
7. Propositio huic pallio favens ab Alexandro VII. damnata.
8. Fundamentum hujus propositionis planè frivolum.
9. Pallium hoc tamquam impudentissimum prætextum reprobat Synodus Remensis.
10. Sufficiens detegitur hoc pallium per Christi sententiam, gratis accepistis, gratis date.
11. Innocentius III. hoc unum attendi voluit, an per temporalia perveniatur ad spiritualia.
12. Idem reprobat pallium sub nomine motivi contentum.
13. Hoc pallio admissio facile omnia Simonia excusabitur.
14. Episcopi Belgii hoc pallium reprobarunt.
15. Id ipsum in Gallia factum.
16. Horum censuram probavit Innocentius XI.
17. Non evitatur Simonia tametsi temporale detur ac concilietur amicitia Patroni.
18. Idem est, si muneribus concilietur favor alicujus, qui apud Patronum intercedat.
19. Hac munerum datio ultimatè sit ad obtinendum eâ mediantè beneficium; & per eam Simonia semita sternitur.
20. Hoc pallium à Facultate Theologica & Episcopo Gandensi reprobatum.



Utitur & antiquum Simoniacorum pallium fuit, temporalium à spirituali in Beneficio distinctio sive separatio. Cum enim duo sint in Beneficio Ecclesiastico, nimirum ministerium Ecclesiasticum, & jus percipiendi proventus temporales, creditum fuit, omnem Simonie labem evitari, si hæc duo à se mutuo separarentur; & prius, scilicet spirituale gratis detur, alterum quod temporale est, temporali quoque compenferetur. Quia cum hoc sit non distrahatur Ecclesia (inquunt) sed facultas: nec emittit Sacerdotium, sed POSSESSIO prædiorum. Sub hac enim præstatione pecunie operæ tantum non honoris vel Ecclesie redimitur Sacramentum. Venalia siquidem sunt, unde sint divites: gratis accipiunt, unde fiant Sacerdotes.

II. Ita quidem Capellani Gothofredi Ducis apud B. Petrum Damiani Lib. 1. epist. 13. & Lib. 5. epist. 13. quos tanquam Sacra prædicatoros, & Apostolos Anti-christi exagitat, exclamaturque: o novum schismaticorum genus, & os sacrilegum æterni silentii censura damnandum!

III. Dein urget Alexandrum II. Pontificem, cui epistola inscribitur, "ut celestis eloqui gladio præcinctus occurrat, & tamquam alter Josue, Amalecitas oppugnantes Israël evaginato canonici vigoris mucrone prosternat.

IV. Censuræ & doctrinæ suæ multas rationes adducit, atque hæc inter cæteras: "Cum aliquid sub venalitate suscipitur, & illud procul dubio comparatur, quod ex necessitate subsequitur. Ad hoc enim Pastorale Ecclesia cuique committitur, ut ad ejus regimen obtinendum consecratione firmetur. Et ad hoc sine dubio collatæ pecunie commercium spectat, ad quod is qui promovendus est adspicit.

V. Quæ ratio coincidit cum ea quæ apud Gratianum sub nomine Paschalis Papæ exprimitur Caus. 1. q. 3. Can. 7. "Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum in venditum derelinquit.

VI. Rationem hæc esse concludentem, intelliget, qui attenderit, jus percipiendi proventus temporales, esse consequenter, ut loquuntur, annexum officio sive titulo Ecclesiastico: id est, jus hoc dari propter officium, adeò ut neces-

sario & ex justitia debeat & competat illi qui titulum habet: ac proinde si titulus gratis in aliquem translatus supponatur, jam hoc ipso jus percipiendi proventus illi annexum translatum censetur; ac per consequens, nihil pro hujus juris translatione exigi queat; cum jus illud jam translatum sit, & acquisitum sit illi cui titulus gratis datus supponitur.

VII. Unde merito Alexander VII. hæc inter alias moralis Christianæ relaxativas propositiones damnavit: "Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

VIII. Fundamentum damnatæ hujus propositionis, quod præfert his verbis, quod tibi conferre non tenebatur, planè frivolum est. Nam etsi absolute non tenebatur illi conferre Beneficium, quia poterat non conferre; tamen si Beneficium conferat, non potest temporale ei annexum subtrahere.

IX. Recè proinde dixerunt Patres Synodi Remensis anno 1583. titulo De Simoniacis num. 6. "Impudentissimum proinde prætextum detestamur, qui de solo provenitu reque temporaria Canonicatus se pacifici dicunt; cum ea spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis ab ea divelli queat, quam in homine vivo manente corpus à sua anima.

X. Sed quid multis opus est argumentis, sola expendatur Christi sententia, GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE, attendantque hujusmodi Collatores aut Patroni, num Canonicatum vel Beneficium gratis dederint, dum hoc prætextu, notabilem pecunie quantitatem aliudve temporale pro collatione aut præsentatione acceperunt; vel an ipsi qui mediante ea pecunie alteriusve muneris datione impetrarunt, gratis Beneficium, conformiter ad dictam Christi sententiam, acceperint.

Quis enim dicit, gratis Beneficium esse collatum, ubi pro eo assequendo oportuit notabilem summam pecunie numerare? Nec sine hac datione ad Beneficium perveniretur?

XI. Quapropter jam pridem Innocentius III. in Cap. 34. De Simonia, Simoniacum pronuntiare non dubitavit Clericum, qui quibusdam Canonicis donationem fecerat, ea intentione, ut per temporalia qua offert, spiritualia valeat adipisci; unâ tamquam Simoniacos condamnans Canonicos, si non essent eum, nisi temporalia commoda perciperent, admissuri.

Hoc unum hic attendit Innocentius, num quovis modo per temporalia ad Canonicatum perveniatur; id solum sufficere judicans, ut non gratis, & per consequens Simoniacè per venire censetur.

XII. Eadem hæc decisio in antecessum reprobat prætextum, quem ad excusandam Simoniam, quorundam Casuistarum impia subtilitas his postremis temporibus publicare non puduerat, nimirum: "Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium; sed dumtaxat tamquam motiva conferendi, vel efficiendi spirituale.

Quis, nisi tenebris densissimis habens cor obscuratum, non intelligat, eum per temporalia pervenire ad spiritualia, qui per dationem temporalium inducit & movet Collatorem ut sibi conferat spiritualia, & qui aliàs non esset collaturus, nisi temporalia illa darentur aut promitterentur?

XIII. Nonne hoc titulo omnes gratis dicendi etunt pervenire ad Beneficia, qui quocumque munere ad illa perveniunt; modo eam in mente intentionem formare sciant, quod non per pretium, sed per modum motivi munera offerant? Quidni & ipse Simoniacorum Antesignanus hoc titulo excusari potuisset? Quid enim offerendo pecuniam Apostolis, aliud intendeat, nisi ut per hæc oblationem tamquam